



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Pulchritudinis potentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Mala esse inter illicia & Symbola Veneris, notum ex Poëtis: unde juxta adagium, malis se petere dicuntur amantes. Mala Hippomeni Venus elargitur, quibus Atalantam, diu victricis pudicitia Virginem in amores suos pertraxit. Ovid. 10. Metam. Malo Cydippen Acontius venatus est. Erat illa, generis pariter & formæ nobilitate insignis puella, cujus amore captus Acontius, cum repulsam metueret, quod neque genere, neque opibus par esset, ad dolum confugit, pomumque ad pedes ejus devolvit, (alii in sinum ejus conjecisse referunt) versibus hæc inscriptum.

Juro tibi sanctæ per mystica sacra Dianæ,
Me tibi venturam comitem, sponsamque futuram.

Hoc itaque pomum cum puella incauta sustulisset, versusque in eo descriptos legisset, fidem suam amanti imprudens adstrinxit, & illi nubere, morbo etiam à diis immisso, coacta est.

Et missum sponsi furtivo munere malum, memorat Catullus, quod adventu matris excussum, è castæ Virginis gremio profilierit. Hic monitum illud valet:

----- nimium ne crede colori,
Ille color vermem, quem tegit, intus habet.
Vesceris? ah pransos pestis populabitur artus,
Oréque deluso dira venena trahes.

Poma manu prensare cave, tetigisse, perisse est.
Tangere sed nimium est: tangere velle, nocet.

III (c) Venus coronam gerit in capite (Plinius lib. 8. c. 7. Plutarchus in Pompeio) nempe post pugnam victrix. Pugnata siquidem *Pulchritudo*, semper invicta. Sed quò pacto? planè mirabili. Pugnata videlicet in otio, vincit in pace, triumphat oculis, tacendo tonat, aspectu fulgurat, & uno, non dicam, impetu, sed intuitu pectus invadit, expugnat animum, & sibi tributarium facit. Quid? quod sine voce loquitur, sine vi vim affert, sine catenis allicit, sine præstigiis immutat mentem, & vidisse vicisse est; & visam esse, triumphasse. Illam propterea videre noluit *Augustus in Cleopatra*, ne caperetur, & Victor Orbis, vinceretur à femina. Itaque agenti causam & multis verbis peroranti, aures aperuit quidem, sed clausit oculos. Ad hanc rem Petrarca, Amor, inquit, est latens ignis, gratum vulnus, sanidum venenum, dulcis amaritudo, delectabilis morbus, jucundum supplicium, blanda mors.

(c) *Pulchritudinis potentia.*

IV. (d) Myrto